

et lib. 1 de Vocat. gent., cap. 18; Fulgentius de Incarnatione et grat., cap. 18; et P. Diacon., cap. 8. Denique ad id confirmandum sunt optima verba Ambrosii, lib. 2 in Lucam, § penult., ubi, adducens illud Psalm. 126: *Nisi Dominus custodierit civitatem, etc.*, cum dixisset non posse homines sine Deo ædificare, nec custodire seipsos, adjungit: *Audeo tamen etiam ego dicere quod homo non possit viam adorari, nisi Dominum habeat præviante.*

3. Unde est quartum argumentum, non potuisse hanc legem statui propter merita Christi, nec Christum illam mereri potuisse, nam per talem legem destrueretur ratio gratiæ; sed Christus non meruit ut gratia eo modo daretur hominibus, ut jam non esset gratia; ergo nec talem legem meruit. Major probata est, quia licet facere illam legem respectu nostri fuerit gratia, posita vero lege, illam implere et dare auxilium facienti quod in se est per naturam, jam non esset gratia, sed debitum, ex vi promissionis sub tali conditione operum, et sic daretur ex operibus, et consequenter non esset gratia, ut argumentatur Paulus Rom. 11. Ergo per talem legem destrueretur ratio gratiæ. Minor autem, scilicet, hoc Christum non meruisse, nec potuisse talem conventionem cum Patre suo facere, probatur ex infinitis Scripturæ locis, in quibus dicitur salus dari nobis per Christum ex pura misericordia et gratia, respectu nostri; Rom. 15: *Gentes autem super misericordia honorare Deum*; ad Tit. 3: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam, salvos nos fecit.*

4. Quinto, quia alias adjutorium gratiæ subjungeretur obedientiæ humanæ, essetque gratia non ductor, sed pedissequa liberi arbitrii: consequens est erroneum; ergo illa sententia admitti non potest; sequela patet, quia si Deus dat gratiam facienti quod in se est, jam præcedit bonus usus liberi arbitrii primam gratiam, et est ratio ejus: ergo gratia subjungitur obedientiæ humanæ; nihil enim aliud est subjungi illi, et esse pedissequam, nisi sequi ex illa, seu obedientiam humanam, id est, humanis viribus præstitam præcedere, et gratiam subsequi. Secundo, quia Augustinus sæpissime contrarium tanquam certissimum docet, præsertim Epistol. 107 ad Vitalem, ubi ad hoc late expendit verba Psalm. 26: *A Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet, ponderans non dixisse quia voluit, sed et volet, quia voluntas sequitur ductum gratiæ, non e*

converso. Tertio, propositionem illam in Casiano reprehendit Prosper contra Collator., cap. 4 et sequentibus; unde cap. 39, definit. 6, inquit: *Sicut Pelagiani putabant liberum arbitrium tolli, si a gratia prævenitur.* Denique Fulgent., lib. de Incarnat. et gratia, cap. 19 et 20, ait: *Sicut in generatione carnali præcedit Dei operatio omnem hominis geniti voluntatem, vel affectum, et sicut in conceptione Christi, Spiritus Sancti operatio Virginis operationem antecessit, ita in spirituali hominis generatione, non præcedere voluntatem hominis, sed subsequi Spiritus Sancti operationem.* Ratione item ostenditur, quia si illud consequens admittatur, destruitur et e medio tollitur gratia præveniens, quia ipsa præveniretur a libero arbitrio facienti quod in se est. Consequens autem est contra doctrinam certissimam, quam infra trademus; ergo.

5. *Semipelagianorum rejicienda sententia.* — Sexto, quia alias Deus expectaret hominis voluntatem, antequam spiritum gratiæ infunderet, seu primam gratiam inspiraret. Consequens est falsum; ergo. Sequela patet, quia si Deus dat gratiam suam homini facienti quod in se est per voluntatem suam, necesse est ut expectet quid homo faciat, priusquam gratia sua illum præveniat; quando enim fit promissio sub conditione, expectatur eventus conditionis, priusquam effectus promissionis conferatur. Falsitas autem consequentis patet, quia repugnat directe definitioni Concilii Arausiani, cap. 4. Nec satisfacet qui dixerit, licet Deus det primum auxilium gratiæ facienti quod in se est, non tamen expectare ut id faciat, nam sæpe vocat hominem non facientem bonum quod in se est, imo facientem omne malum, juxta illud Isai. 40: *Inventus sum a non quærentibus me.* Hoc (inquam) non satisfacet, quia definitio Concilii universalis est, quod Deus neminem expectat, et gratia in nullo est pedissequa, nam ratio gratiæ in nullo destruitur. Unde etiam Semipelagiani dicebant non semper Deum expectare liberum arbitrium, sed sæpe, imo et regulariter prævenire voluntates, etiam pravas: et nihilominus, quia in aliquibus contrarium ordinem nonnunquam admittebant, damnati fuerunt. Ergo multo magis rejicienda est hæc sententia, quæ e contrario docet Deum regulariter vocare eum qui facit quod in se est, licet aliquando id non expectet.

6. His argumentis putant hi auctores satis excludi, et improbari legem illam et promissionem, seu quasi pactum inter Deum et

CAPUT XIV.

TRACTATUR TERTIA OPINIO, QUÆ PARTIM A PRÆCEDENTIBUS RECEDIT, PARTIM CUM UTRAQUE CONVENIT.

1. *Sententia affirmans servanti legem naturalem infallibiliter dari auxilium supernaturale.* — Inter duas præcedentes opiniones, tertia veluti media hoc tempore introducti cœpit, quæ affirmat, cum prima, servanti legem naturalem infallibiliter dari a Deo auxilium supernaturale sufficiens ad fidem et justitiam supernaturalem, et admittit id fieri ex aliquo merito boni usus libertatis in observatione legis naturalis; negant tamen hanc observationem legis naturalis fieri sine aliqua gratia ordinis naturalis, quam in vocatione congrua naturali constituunt, eamque putant sufficere ut gratia fidei, sive auxilii supernaturalis ad fidem, sit vera gratia, quia, licet propter aliquod meritum detur, hoc procedit ab aliqua gratia priori, propter Christum data, et ita est gratia pro gratia. Et propter hoc putat hæc opinio satis discrepare a sententia Semipelagianorum, et solvere argumenta præcedentis opinionis in capite superiori posita.

2. *Hujus assertionis fundamentum quod.* — Fundamentum hujus sententiæ esse potest, quia necessarium est fateri Deum dare omnibus hominibus adultis sufficiens auxilium ad salutem, cum sine fide nemo salvari possit. At vero hoc auxilium supernaturale ad credendum in re ipsa et actu (ut sic dicam) non omnibus datur; non enim ad omnes pervenit fidei prædicatio, vel vocatio, ut supponitur tanquam manifestum: ergo necesse est ut detur saltem in præparatione voluntatis Dei, seu quantum est ex parte ipsius: ergo ex parte eorum quibus non datur in re ipsa, aliquid desideratur, propter cujus defectum non datur: ergo illud nihil esse potest nisi observatio legis naturalis, seu bonum aliquod morale naturalis ordinis; quid enim aliud ante gratiam fidei in homine dari vel cogitari potest, quod vel per se conferre, vel cujus defectus obstare possit vocationi fidei? Quidquid enim aliud cogitetur, sive bonum ingenium, sive bona indoles, sive humana potentia, vel nobilitas, aut aliquid hujusmodi, ad vocationem fidei, quæ animi probitatem et sanctitatem respicit, impertinens est, ut optime discit Augustinus dicta quæst. 2 ad Simplician., circa finem. Sola ergo observantia legis

Christum, dandi primam gratiam supernaturalis auxilii proxime sufficientis, omni homini facienti quod in se est, et consequenter reprobant promissionem illam intellectam de homine operante sine tali auxilio, et solum in eo sensu credunt posse sustineri, quod de homine faciente quod in se est per prævium auxilium supernaturale explicatur. Verumtamen quantam vim habeant objectiones factæ contra catholicam sententiam probe intellectam postea videbimus; nunc solum addimus hos impugnatōres non respondere ad difficultatem propositam de generali lege dandi auxilium sufficiens omnibus hominibus adultis: nam si illam omnino de medio tollunt, evertunt axioma certissimum, *per Deum non stare quominus omnes homines salventur, et omnibus adultis dare auxilium sufficiens, quantum in se est*; quod adeo videtur fundatum in Scriptura, Patribus, Redemptione Christi, et misericordia Dei, ut negari non posse videatur; vel si illam legem non omnino negant, oportet ut nobis declarent an illa lex fuerit cum promissione omnino absoluta, et nullam conditionem includens, vel cum aliqua limitatione et conditione fuerit.

7. Nam si primum dicant, coguntur etiam dicere talem legem et promissionem habere effectum in omnibus, quod incredibile est; et ipsi in suis argumentis contrarium supponunt, nimirum Deum sua voluntate multis non dare talia auxilia, etiamsi sint in omnibus naturalibus conditionibus, sive naturalibus, sive liberis, æquales, et hanc dicunt esse admirationem Augustini, quæ, secundum Prosperum, ex usu liberi arbitrii solvi non potest; et exemplo parvulorum id confirmant, putantque eandem esse rationem de adultis, quæ omnia sunt contraria illi legi pro adultis latæ cum absoluta promissione. Si vero lex illa conditionem includit, cur legem ipsam absolute et sine ulla distinctione impugnant? Cur item conditionem illam nobis non declarant? Vel si declarare eam possunt, cur non in eodem sensu Catholicos Doctores interpretantur? Denique, admissa illa lege sub aliqua conditione, necessarium est ut talis conditio a libero arbitrio naturali pendeat, quia nec potest esse necessaria, vel impossibilis, alias esset impertinens; nec potest gratiam supponere, cum ad primam gratiam dandam requiratur; quod si hoc modo conditionem ponant, omnia eorum argumenta corruunt, ut facile consideranti patebit, et in discursu sequentium capitulum nos explicabimus.

naturalis desiderari potest in homine nondum vocato, ut vocetur ad fidem. Ergo simpliciter verum est servanti legem naturalem Deum non negare superius auxilium ad supernaturalem servandam, quæ inchoari debet per vocationem ad fidem.

3. *Lex naturalis an et quomodo servari queat. — Consequentia prima. — Altera.* — At vero naturalis lex servari non potest per vires liberi arbitrii; ergo ut illa conditio impleatur, necessarium est ut aliqua gratia præcedat, quæ juvet ad servandam legem naturalem: ergo optime potest propter talem observationem, tanquam propter aliquale meritum, dari vocatio ad fidem sine injuria gratiæ, quia jam gratia præcedit, et ratione prioris seminis divini totum refertur in auctorem prioris gratiæ, et sic receditur a reliquiis Pelagii, et omnia recte conciliantur. Prima propositio subsumpta probatur ab auctoribus hujus opinionis, ex illo principio quod nullum opus bonum morale potest fieri sine gratia, saltem congruæ cogitationis, de quo in l. 2 copiose diximus. Simpliciter vero probari potest, quia, saltem ad servandam totam legem naturalem, non sufficiunt vires liberi arbitrii, sed necessaria est gratia Dei, ut ibidem ostendimus; ut autem homo servet legem naturæ sicut oportet ad obtinendam vocationem ad fidem, non satis est unum vel aliud bonum opus legis naturalis facere, sed necesse est totam legem servare, nam *qui in uno offendit, est omnium reus*, et unum peccatum mortale sufficit ad obstruendum ostium supernaturalis gratiæ Dei; ergo necesse est ut ante vocationem ad fidem supponatur alia gratia, quæ, licet sit inferioris ordinis, det sufficientiam et potestatem ad servandam totam legem naturalem; alias conditio impossibilis postularetur ab homine ad recipiendum auxilium proxime sufficiens ad fidem; sic enim lex et conditio esse inutilis. Et ita probata est prima consequentia. Secunda vero inde facile patet, quia opus factum ex gratia est aliquo modo meritorium subsequenti gratiæ. Potest ergo vocatio ad fidem cadere sub tale meritum, sine injuria gratiæ, et sine cogitatione Semipelagiani erroris, qui fidei initium soli libero arbitrio, sine ulla gratia, tribuebat.

4. *Cogitatio congrua antecedens vocationem ad fidem non habet rationem gratiæ.* — Hæc sententia, quatenus ait servanti legem naturalem dari vocationem supernaturalem ad fidem, cum prima coincidit, et de illis iudicium feremus in capite sequenti; quatenus vero

difficultati respondet ex sola gratia præveniente cogitationis congruæ naturalis, et solum propter illum modum loquendi a Semipelagianis se satis discrepare putat, nobis difficillima visa est semper, ut lib. 2 dixi, nec nunc aliter de illa sentire possumus. Primo, quia cogitatio congrua antecedens vocationem ad fidem non habet rationem gratiæ, nisi ratione congruitatis, quia in reliquis naturalis est, etiam juxta illam sententiam; neque etiam in illo genere est auxilium sufficiens, sed efficax, non enim dicitur congrua, nisi quando effectum consequitur; ergo qui cogitationem illam congruam non recipiunt, non habent ullam gratiam præviam, nec auxilium sufficiens quo possint legem naturalem servare, et se disponere ut vocationem ad fidem recipiant. Ergo illis simpliciter non datur nec offertur auxilium sufficiens ad salutem. Responderi potest etiam cogitationem honestam naturalem, quæ futura non est congrua, esse gratiam et auxilium sufficiens ad legem naturæ servandam; sed contra, quia talis cogitatio est debita non solum speciei, sed etiam cuicumque individuo, imo et necessaria, ut proxima libertas bene vel male operandi compleatur; ergo non est auxilium gratiæ, sed ipsius naturæ.

5. Dicunt hoc esse verum de minima cogitatione sufficienti, non vero de quacumque majori minima, nam illa non est debita, et consequenter est gratia; sed hoc etiam gratis excogitatum est; nam quod sit intensior, vel nimis intensa cogitatio, non provenit ex providentia extraordinaria, regulariter loquendo, sed ex communi cursu et actione causarum occurrentium, et interdum ex libera applicatione voluntatis, supposita prima excitatione qualicumque ab externo objecto. Sed quidquid in hoc sit aut eveniat, sumamus hominem qui solum habuit minimam cogitationem honestam sufficientem; si enim est possibilis casus, non est cur in tanta hominum et occasionum varietate negetur. Nec video unde probari posset ita disposuisse Deum res omnes et causas universi, ut ab eis omnes homines adulti intensius vel efficacius ad cogitationes honestas moverentur, quam simpliciter necessarium sit et sufficiat ad bonum opus morale. Posito ergo casu quod aliquis homo tantum excitetur minima cogitatione ad servandam legem naturalem, jam ille homo nullam habet gratiam prævenientem, seu excitantem ordinis naturalis, et consequenter nec supernaturalis; interrogatio ergo de illo, an possit facere quod in

se est, ut vocetur ad fidem, vel non possit. Si non potest, ergo nullo modo habet auxilium sufficiens ad salutem; si autem potest, ergo sine prævia gratia potest se præparare ad vocationem, seu inspirationem fidei, et illam mereri, quod concedi non potest, etiamsi dicatur nunquam esse talem hominem usurum tali potestate; hoc enim est per accidens, non ex defectu virium, sed quia ita supponitur a Deo præscitum in tali homine, quod accidentarium est, et posset oppositum contingere, ut statim dicam.

6. Secunda ratio principalis contra illam sententiam est, quia, ut dixi, cogitatio congrua non censetur habere rationem gratiæ propter vires quas ad operandum præbet, sed propter solam congruitatem; nam alioqui mere naturalis est, et per ordinarias causas naturales provenit; congruitas autem non consistit in virtute agendi, sed solum in hoc quod secundum Dei præscientiam effectus infallibiliter futurus sit ex tali cogitatione; unde auctores ejusdem sententiæ fatentur congruitatem inducere operationis necessitatem consequentem, non antecedentem; ergo cogitatio congrua non est gratia quæ det proprium auxilium et vires operandi, licet sit quoddam beneficium gratuitum, quoad congruitatem; ergo, in rigore loquendo, homo meretur primam supernaturalem gratiam, seu vocationem ad fidem, per vires naturales, non per vires gratiæ. Consequens autem non videtur ullo modo concedendum, quia tunc revera talis vocatio ad fidem esset ex operibus, et consequenter non esset gratia, juxta Paulum, Rom. 4. Prior sequela patet, quia illud meritum procedit ex cogitatione congrua; sed cogitatio congrua, ut est gratia, non dat vires operandi; ergo illud meritum non procedit ex viribus gratiæ; ergo procedit ex viribus naturæ, et in illis fundatur. Posterior illatio probatur, quia illa dicuntur proprie opera juxta mentem Pauli, quæ fiunt ex viribus naturæ, et non ex viribus gratiæ; sed tale est illud meritum; ergo gratia quæ datur ex tali merito, est ex operibus, et consequenter non est gratia. Nec satis esse potest quod ibi præcedat beneficium quasi extrinsecum Dei præparantis illas naturales vires seu illam cogitationem tempore congruo, quia hoc non tollit, quin in re ipsa opus fiat propriis naturæ viribus, et ut tale est fundamentum meriti, quia meritum non fundatur per se et substantialiter (ut sic dicam) in beneficio extrinsecum Dei præparantis occasionem opportunam ope-

randi, sed in bonitate operis proportionata viribus quibus efficitur.

7. *Evasio. — Obstatur.* — Dicitur fortasse cogitationem congruam, tametsi naturalem, etiam dare vires operandi gratuitas, seu, ut est gratia, quia non solum ratione congruitatis est gratia, sed etiam quia datur major seu intensior, et in se aptior ad movendam voluntatem quam esset necessaria, juxta illam doctrinam relatam in præcedenti ratione, quod omnis cogitatio major minima sufficiente est gratia. Sed huic evasioni duo maxime obstant, unum est, quia inde sequitur illam gratiam, prout dat vires operandi, non esse necessariam ad posse, sed ad facilius posse mereri gratiam apud Deum, quod etiam non conceditur, quia non minus sapit Pelagianum errorem. Sequela probatur, quia illa cogitatio dicitur esse gratia dans vires operandi, quia est major quam sit necessaria; ergo minor est sufficiens; ergo minor dat posse; ergo altera major non dat posse, sed tantum facilius posse ratione illius excessus. Item, eo ipso quod talis excessus, seu talis intensio major dicitur esse non necessaria, aperte concluditur solum esse utilem, ac subinde non dare posse, sed facilius posse. Aliud est, quia voluntarie supponitur cogitationem congruam semper esse majorem, vel meliorem quam necessaria sit; nam, si minor est sufficiens, contingere etiam potest ut sit congrua, nam excitatio sufficiens dat simpliciter posse; qui autem vere et simpliciter potest, contingens est ut interdum operetur; cur ergo non potuit prævidere Deus aliquem consensurum fuisse cum minori vel minima cogitatione sufficiente? Ergo, hoc posito, quod procul dubio est contingens, minor cogitatio erit congrua; ergo non est de ratione cogitationis congruæ, ut sit major quam necessaria sit vel sufficiat ad consensum; gratis ergo supponitur quod semper sit major.

8. Unde oritur ratio alia meo iudicio efficax ad hominem; nam, juxta discursum factum, aperte sequitur cogitationem minimam, sufficientem ad honestum consensum, posse etiam esse congruam, et id esse mere contingens. Ponamus ergo aliquando id esse futurum, et esse prævisum a Deo. Tunc ergo facienti quod in se est, per talem cogitationem naturalem, Deus dabit vocationem fidei ex merito talis actionis: ergo ex operibus, et nullo modo ex gratia. Probatur hæc ultima consequentia, quia illa cogitatio, non ut honesta, nec ut talis vel tanta, est gratia, ut idem auctor concedit, quia

est debita naturæ liberæ, nec etiam ut congrua, quia illa congruitas est consequens ex futura cooperatione liberi arbitrii, et Deus non poterat impedire illam secundum bonitatem suam; nec etiam poterat cogitationem illam negare secundum suam naturalem justitiam, quia est debita tali naturæ. Ergo nulla ratio gratiæ ibi intercedit; ergo tale meritum esse potest, et in eo casu esset ex pura natura.

9. *Credere juxta Augustinum, quid.*—Tertia principalis ratio contra illam sententiam est, quia admittit meritum initii fidei in nobis, quod nullo modo admittendum videtur, sive dicatur fundatum in natura, sive in gratia quadam ordinis naturalis; sive dicatur esse meritum de condigno, sive de congruo, sive perfectum, sive imperfectum; ergo. Major videtur plane concedi vel supponi in illa sententia; dicit enim eum, qui proxime non est vocatus ad fidem, vocari vel interius, vel etiam exterius, ex merito observandi legem naturalem cum sola congrua cogitatione. Vocatio autem proxima ad fidem est initium fidei, ut ex Concilio Tridentino et Arausiano in libro secundo late probavi. Nec dici potest quod cogitatio congrua naturalis ad faciendam elemosynam, vel ad aliquo modo naturali verum Deum, ut auctorem naturæ, colendum, sit vocatio ad fidem, vel initium fidei, quia initium fidei est aliquid per se pertinens ac necessarium ad ipsam fidem: quælibet autem alia cogitatio alterius moralis objecti seu operationis est valde extrinseca, et per accidens ad fidem. Unde Augustinus, libro de Prædestin. Sanctor., capite secundo, ad summum reducit initium fidei ad cogitationem credendorum: *Nam credere (inquit) est cum assertionem cogitare, quia nullus aut credere aut velle credere potest, nisi prius cogitet esse credendum, potest autem cogitare de credendis, et non credere.* Ante illam autem cogitationem aliud initium fidei non agnoscit, imo etiam maxime probat initium fidei non posse cadere sub meritum, quia illa cogitatio non potest sub meritum cadere. Unde etiam facile probatur altera propositio in argumento subsumpta, tale scilicet meritum non esse admittendum, quia plane repugnat Augustino, et non consonat Concilio Tridentino, capite quinto, sessione sexta, dicenti, *exordium salutis sumi a vocatione, qua nullis præexistentibus meritis excitamur, etc.*, de qua gratia subdit, capite septimo: *Fidem ex auditu concipientes, etc.*, et hoc ipsum multis testimoniis et rationibus in libro secundo

probavimus, et aliqua in sequenti capite adidemus. Propter hæc ergo non videtur per illum dicendi modum convenienter fieri satis difficultati propositæ, nec sufficienter vitari Semipelagianorum doctrina, præsertim cum illi non negarent cogitationem honestam naturalem, nec congruitatem ejus, et cum illa non transcendat rationem naturalis doctrinæ, magisque dici possit doctrina opportuna quam gratia congrua, quæ omnia in libro secundo latius prosecutus sum. Et ideo de hac sententia in præsentia hæc sufficiunt, quæ ad perfectam enodationem illius axiomatis: *Faciendi quod in se est, necessaria visa fuerunt.*

CAPUT XV.

PROPOSITÆ DIFFICULTATI SATISFIT, ET AXIOMA PROPOSITUM IN VERO ET CATHOLICO SENSU EXPLICATUR.

1. *Decrevit Deus certa lege dare omnibus hominibus lapsis sufficiens auxilium credendi, et filios Dei fieri.—Lex quasi pactum quoddam inter Deum-Hominem et Patrem Æternum.*—Visis aliorum opinionibus, superest ut nonnullis assertionibus nostram declaremus, et juxta illam difficultati propositæ satisfaciamus. Primo ergo dicimus negari non posse quin Deus, certa lege ac voluntate, decreverit dare omnibus hominibus lapsis, propter Christum, sufficiens auxilium quo possint credere, et filii Dei fieri, et non peccare, sed legem divinam servare. Hæc assertio satis probatur ex dictis cap. 13, ubi ostendimus ita fieri, et hoc esse certum et infallibile, sine personarum distinctione; ergo fundatur in lege Dei, vel firma voluntate, quantum est ex parte ejus, quia non potest aliunde habere certitudinem et infallibilitatem. Quod autem hæc lex propter merita Christi statuta sit, manifestum est, quia totum hoc gratiæ auxilium sufficiens pertinet ad gratiam redemptionis; ergo propter Christum datur, et ideo gratia Dei, gratia Christi in Scriptura et Conciliis appellatur; ex quibus hæc assertio et lex non obscure colligitur. Hinc ergo recte dicitur legem hanc fuisse quasi pactum quoddam inter Christum Deum-Hominem et Æternum Patrem.

2. Nam Christus, ex præscripto ejusdem Patris, omnia sua merita obtulit, ab initio Incarnationis suæ, pro salute omnium hominum; ergo ut omnibus darentur auxilia sufficientia ad illam consequendam; ideo enim est universalis Redemptor omnium, quoad sufficien-

tiam: ergo Pater, acceptando meritum, promisit Christo dare hominibus tale auxilium. Quod etiam potest antecedenter explicari: nam Deus Pater Christo promisit dare omnibus hominibus remissionem peccatorum, et veram justitiam, quantum in se erat, si ipse pro eis satisfaceret, et justitiam mereretur. At Christus et accepit conditionem, et implevit, et inde firmata est lex dandi omnibus hominibus auxilia sufficientia ad salutem, quæ in adultis debent esse auxilia actualia, et in ipsis recepta, vel in eorum manu et potestate aliquo modo posita, ut supra probatum est; et ideo ibidem diximus quod licet, considerato humanæ naturæ lapsu, ante hoc pactum cum Christo et sine illo potuisset Deus, sine ulla infidelitate et injustitia, non dare, nec offerre hominibus auxilium sufficiens ad salutem, quia peccatum naturæ erat tota illa pœna dignum, et ante præordinata et prævisa merita Christi, Deus nulli tale auxilium debebat, aut promiserat; nihilominus, stante merito Christi, et generali lege cum illo stabilita, non potest Deus ex se negare alicui adulto tale auxilium aliquo modo sufficiens, alias et esset infidelis in suis promissis, et injustus, non quidem respectu peccatoris, qui, dum talis est, nullum habet jus in se acquisitum (ut sic dicam), sed respectu Christi, cujus est proprium tale jus, propter quod semper tale auxilium in principio est mere gratuitum respectu ejus cui datur, licet respectu Christi præmium meritorum sit.

3. *Lex dandi omnibus hominibus auxilia sufficientia ad salutem, haud est absoluta.—Deus non omnibus infidelibus dat in effectu vocationem ad fidem.*—Dico secundo: hæc lex dandi omnibus hominibus auxilia sufficientia ad salutem, quoad auxilia supernaturalia, seu proximam vocationem ad fidem, per sufficientem ejus propositionem externam vel internam, actu dandam omnibus et singulis viatoribus adultis, non fuit absoluta, includens scilicet absolutam promissionem, sed sub aliqua conditione. Hæc assertio communiter recepta est, præsertim ab auctoribus primæ et tertiæ sententiæ, et aliis quos infra referam. Et per experientiam videtur evidens, quia quod Deus non omnibus confert, certe non omnibus absolute promisit, est enim fidelis et verax, et seipsum negare non potest: at vero experimento constat Deum non omnibus infidelibus dare in effectu proximam vocationem ad fidem, quia ad multos externa prædicatio non pervenit, et internæ revelationis nullum est indicium, nec affirmari potest sine fundamento,

quia, teste Paulo, ordinaria lex est, ut homines per externam prædicationem ad fidem vocentur: ideo enim interrogat ad Romanos 10: *Quomodo audient sine prædicante?* Et Actor. 14, et Roman. 1, cum vult ostendere Deum non omnino deseruisse Gentiles, nec reliquisse sine aliquo auxilio, non dicit interius se illis revelasse, sed per visibilia opera se illis manifestasse, et per generalia beneficia omnes ad se attraxisse; et eodem modo loquuntur Patres statim referendi. Confirmatur, quia multi sunt infideles quibus infidelitas ad culpam non imputatur, propter ignorantiam invincibilem, ut est communis sententia Theologorum cum D. Thoma 2. 2, quæst. 10, artic. 4; ergo illi nec exterius nec interius sunt vocati sufficienter ad fidem, quia si vocati essent et non credidissent, jam eorum infidelitas esset culpabilis.

4. *Conditio dandi auxilii ex vi promissionis, qualis sit.—Axioma: Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, exponitur.*—Tertio, dicendum est hanc conditionem talem esse, ut non sit effectus auxilii dandi ex vi promissionis, sed aliquid aliud quod sine illo auxilio fieri possit, et nisi fiat, promissio Deum non obligat. Hanc assertionem satis declarant Doctores allegati in prima opinione, et inter eos apertissime D. Thomas locis ibi allegatis. Dicunt vero aliqui D. Thomam retractasse illam doctrinam 1. 2, quæst. 109, artic. 6, ad 2, et quæst. 102, art. 3, ubi axioma illud: *Faciendi quod in se est, Deus non denegat gratiam*, exponit de faciente quod in se est, per auxilium gratiæ, et per motionem divinam. Sed imprimis ibi D. Thomas formaliter non retractat priorem doctrinam, sed axioma illud, applicatum ad gratiam habitualement, de qua ibi tractat, dicit intelligendum esse de faciente quod in se est per auxilium gratiæ, quod est certissimum, quia ad gratiam habitualement nemo potest se præparare, nisi per auxilium gratiæ. Non docuit tamen ibi D. Thomas axioma illud, intellectum de primo auxilio supernaturali gratiæ, non posse habere verum sensum, nec etiam negavit conditionem, in eo postulata, esse tunc implendam ante illud primum auxilium: non enim potest per aliud supernaturale auxilium impleri, cum supponatur illud primum, nec per illud ipsum impleri potest, cum debeat supponi impleta, ut illud detur, sicut indicant ipsa verba: *Faciendi quod in se est.* Imo, etiam in alio sensu, de gratia habituali vera est hæc pars assertionis cum proportionem servata. Nam eo modo quo verum est, facienti quod in se est, dari pri-